

Georg Detharding

**Programma, Qvo Decanus Facultatis Medicæ Georgius Detharding, Med. Doct. & Profess. Publ. At Orationem Panegyricam, De Meritis Lutheri In Artem Medicam, In Memoriam Et Festivitatem Secundi Jubilæi Lutherani, à se Ad diem 3. Novembr. Anno MDCCXVII. ... invitat**


Rostochi[i]: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1717]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1010356534>

**Abstract:** Feier der Universität Rostock zum 200. Jahrestages der Reformation.

Druck    Freier  Zugang





Bibl.


Schol. Gustrow.

1836.

~~Mk 310~~

Mk - 7775.





**PROGRAMMA,**  
*Qvo*  
*Decanus Facultatis Medicæ*  
**GEORGIUS DETHARDING,**  
MED. DOCT. & PROFESS. PUBL.  
*AD*  
*ORATIONEM PANEGYRICAM,*  
**MERITIS LUTHERI**  
*DE*  
**ARTEM MEDICAM,**  
IN MEMORIAM ET FESTIVITATEM  
**SECUNDI JUBILÆI**  
**LUTHERANI,**

*à se*  
*Ad diem 3. Novembr. Anno MDCCXVII.*  
hora decima matutina  
habendam,

**MAGNIFICUM DN. RECTOREM**  
ILLUSTRIS REGIMINIS CONSLIARIOS,  
ACADEMIÆ ET URBIS PATRES  
CIVES AC HOSPITES,  
*suis quemque nominibus & honoribus*  
*inlyros,*  
Omni studio & officio  
invitat.



ROSTOCHI,  
Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi Senatus  
Typographi.

*20.*



## A. & Ω.



Vam perlubens me inclinem ad judicium BOECLERI, qvod affert  
in Oratione de fatis studii literarii: *Nomina Theologi, Jurisconsul-  
ti, Medici, Philosophi, non tam artis esse vel scientie, quam salu-  
berrimae societatis & amicæ pro Republica conjunctionis*; tamægre  
ausim his verbis subscribere, qvæ statim subnectit: *Rationem  
illam status, qvæ cum ambitione in studia irrepserit, factionum &  
partium titulos fecisse*. Omnium, fateor, docentium scopus, huc collimat,  
ut generi humano à lapsu, qvem tam gravem sustinuit, undique consulatur;  
ast negotii hujus diffusa ratio non concedit, ut unius undique sufficiat. De-  
siderantur, qvi obligent, qvi manus subdant, qvi remedium apponant,  
qvi deliqvia arceant. Vix tamen ex memoratis scientiis sororio magis vin-  
culo qvædam sociantur, ac *Theologia & Medicina*; tam amice, tam svaviter  
hic omnia conspirant, & mutuis plexibus altera alteri manum præbet. Idem  
utriusque officium; mederi. Eadem utriusque medendi ratio; quando blan-  
ditiae nihil possunt, igne curare. Eadem utriusque fata; plures nosse im-  
morigeros, qvam obseqentes. Idem utriusque præmium; bene facere &  
male audire. Qvodsi excurrere animus foret & eloqli, qvæ de utriusque  
Dispensatore, qvem DEUM esse Gentiles jam agnoverunt; de utriusque hæ-  
resibus, qvibuscum affatim conflictandum; de utriusque difficulti praxi in  
propriis morbis delendis, qvam qvivis cum ægritudine in se ipso experi-  
tur; de utriusque contemtoribus, qvi undique circumstant, &c. afferri &  
commemorari possent, campus aperiretur spatiofissimus, qvi mentem non  
adeo, qvam calatum, exerceret. Hoc unicum modo monebo, *ad mores  
& fata Theologiae se ut plurimum conformasse Scientiam medicam*; qvamvis,  
summas modo hujus moniti lineas ducere, permisum jam fuerit. Proto-  
plastorum prima conditio uti fuit optima; ita, si Theologiae statum, tunc  
qvi fuerit, examinemus, hic æqve fuit perfectissimus. Aderat vera, illu-  
stris & ardens, DEI notitia; svavissima humanæ cum divina voluntate sym-  
phonia; inculpabilis amor DEI & cum lege divina conformitas. DEUM  
intelligere, mirari, canere, cum DEO colloqli, ad DEUM omnia referre,  
DEI munificentia undique frui, occupatio quotidiana. Æqve sub illo tem-  
pore Medicinæ optima facies. Corpus affabre in omnes animæ jussus for-  
matum & flexible; solidæ partes fluidorum amicitiam exosculabantur; fluida  
mollissimis flexibus inter solida decurrebant; Aer serenus blande salutabat  
pulmones & jungebat, qvæ in hunc finem accesserant, diversa fluida; Cibus  
& Potus capiebantur ad necessitatē, ignorabant vero omnem excessum; Vi-  
giliae tradebant somno corpus, qvo hic redderet membra ad nutum ite-  
rum prona; non servabantur intra pomceria cutis nisi qvæ se sociare vel  
poterant, vel debebant; nec proscribebantur, nisi a qvorum longiori com-  
mercio sociis nausea foret exspectanda; in Animo tranqvillitas moduli instar  
erat Humoribus, ad qvem semel cœptum decūrsum, jugiter, sed composite,  
continuabant. Pathologia tunc qvidem exilabat: nec enim morbis erat

ab

• 03

ab intra accessus. Qvod si quid labis, vel vitii, externi casus attulerint, hoc corrigere res erat facillimi negotii, omni terra non modo in usum, sed etiam in salutem Protoplastorum conspirante. Nec deerat Plantarum notitia, qvæ Materiam medicam formarent; summatim omnis medendi ratio hoc Porismate includebatur: Similia curari similibus. Ast! quantamne Metamorphosin à lapsu Primorum sustinuit Theologiae splendor! Menter occupavit triftis de DEO & de hujus sincera voluntate caligo; voluntas aversabatur DEUM; Affectuum bellum intestinum, idq; perpetuum; voluntas capiebat sceptrum, qvæ olim intellectui fuerant. &c. Non minorem Medicina admisit Catastrophen. Nunc qvippe de Pathologia qvam maxime, & de nova medendi methodo, DEO cogitandum fuit, qvi primus hinc Medicus. Corporis mollities, in flexilitatem necessaria, opprobrio erat omnibus erroribus, qvos animus depravatus, per singula momenta, excludebat, & corruptioni tot patebant ostia, qvot anomaliæ undique in corpus arietabant. Qvo ergo remedia suppeterent pro emendanda perversa hac corporis conditione, terræ erat maledicendum & huic imperandum, ut loco herbarum alimentosarum & nutritioni accendentium uberiorius jam herbas proferat medicamentosas, carduos & qvæ hujus commatis sunt; Aer tenuior, qvi jam non amplius commodo fuisset, erat cum spissiori commutandus; Labor olim ad beneplacitum, nunc ad sudorem continuandus; Transpirationi liberiori & magis ac olim necessariæ per vestimenta prospiciendum; summatim ad hanc regulam methodus fuit invertenda: Contraria curari contrariis. Accedo ad alteram Metamorphosin, qvam Theologia & ad hujus genium, Medicina in Gentilismo experta est. Gentilium Theologiam nemo justius Paulo Apostolo expresserit, qvando Ephesios alloquitur: *Mementote vos quondam gentes in carne; vos illo tempore fuisse absque CHRISTO, ab alienatos à civili statu Israelis & extraneos, quod ad pactorum promissiones attinet; spem non habentes, & absque DEO in mundo.* Nec qvoque Medicinæ conditionem apud Gentiles qvis melius adumbraverit, ac si paucis mutatis verbis exclamaverit; Gentiles quondam fuisse sine Anatomia; ab alienatos à vera notitia Physiologiæ ac Pathologiæ & extraneos, qvod ad fidam notitiam, materiam medicam tradentem, attinet; spem non habentes solidæ praxeos, & absq; omni vera medicina in mundo. Omnimodam Gentilibus de DEO notitiæ ex verbis Pauli citatis nemo deneraverit: nec qvis affirmaverit, illos omni stimulo caruisse, qvi vel intus, vel externo accessu, ad DEUM agnoscendum, compulerit. Æque absonum foret, si omnem notitiam medicam apud Ethnicos exulasse acriter contenderem. Ast! ceu illam notitiam, aut insitus instillabat & cordi inscriptus de DEO sensus, aut relationes & imitationes morum gentis Hebreæ fovebant; utrumq; vero hoc subsidium dicendum Hodogeta magis ad Theosophiam, qvam, imprimis, si ad plenitudinem dilectionis & misericordiæ in verbo revelato oblatam respiciamus, Theosophia perfecta. Ita pariter de rebus Medicis cognitiam mutila fuit & ridicula, ut ipse *Conringius*, Vir vasti ingenii & in libris antiquorum versatissimus, non possit non qvin declareret, rudem illam fuisse; partim ineptam, partim etiam & qvidem potissimum superstitione & magica impietate supra modum infectam. Mitto, ut pergam, intercapelinem illam annorum ad CHRISTUM natum usq;ve, nec referam vicissitudines instabiles, qibus & Theologia & Medicina fuerint obnoxiae, qvando mox emergere, lucem videre, mox cum obscura ignorantia certare visæ sunt, & accedo ad tempora Christianismi. Nolo tamen multis verborum ambagibus recensere Metamorphosin, qvam Theologia ex splendore antiquo iterum hic obtinuit! qvam Priscorum de DEO, verique conceptus, denuo cordibus Humanis commendati! qvam plenis velis Homines ad veritatis Aram contendunt! ne ignorare videar me Christianis scribere & tale qvid exponere incuser, de qvo toto die in templis informamur. Exponam potius, qvam culturam his temporibus Medica scientia experta sit. Præparaverat semitam

Hippo-

*Hippocrates*, qui anno mundi natus 3408. sicutque ante annos 450. quam Christus mundum ingressus, salutarium præceptorum semina haud parva copia omnibus præbuerat; sed quod desiderabantur Agricolæ laboriosi, qui eum seminarent, quum augeant & porro exaltent, messis non prius obtinuit, ac quando sub Tiberio Imperatore, Medicus sapientissimus prudentissimus ve, *Cornelius Celsus*, accesit. Hic Latinus ab Hippocrate accepta præcepta medica fecit meliora, & quod laudis nemini Græcorum dari poterit, artem redegit in Systema & corpus methodo constitutum. Solito jam diligentius & longe curatius scripta memorati Hippocratis fuere examinata, & in prelio habita. Nec parum tamen lucis quoque attulit *Dioscorides Pedacius*, qui sub Imperio Octaviani Augusti floruit, quandoquidem plantarum vires non modo exponendo, sed figuræ plantarum ad vivum depingendo, ægro Medicinæ corpori medicinam fecit, ut levatum inde caput iterum extollere & firmiori talo incedere potis fuerit. Cum Religionis porro augmento crevit quoque medicæ artis decor; sed, quod dolendum, quando, seculo tertio elabente, Lux Evangelii iterum fuit obscurata, Episcopis Romanis in Pontifices degenerantibus, æque splendor artis salutaris multum remisit, & ad seculum decimum quartum usque, voluntaria quasi oblivione, contrita iterum stamina illa sunt, ut quis affirmare ausit, cum ipsis Authoribus aut Restauratoribus denuo eadem fuisse sepulta; adeo antiquus honor & decus remiserunt. Non defuerunt equidem per tristia illa temporum fata Theologis maximæ dignationis & maximæ authoritatis; nec Historia medica ignorat, quanti fuerint habitu *Oribasius*, *Alexander Trallianus*, *Rhases*, *Serapion*, *Avicenna*, *Avenzoar*, *Mesue*, *Petrus Aponensis*, &c. Verum, ceu Theologis jamdum fuit pro integritate pristinæ fidei pugnandum, superstitione plenis Ceremoniis subinde crescentibus: æque ac non omnes, illos inter, ab imaginum cultu fuerunt alieni; ita, quod Medicos attinet, hi philosophia sterili imbuti multum Lolii immiscuerunt, ut zizania segetem, quandam gratam, reddiderit tædiosam & usui ineptam. Seculo tandem decimo quinto Theologia habuit ut sibi gratularetur de restitutione in integrum; non minus Medicinæ imperium, Chymia accessu, fuit ampliatum. Illi negotio vacasse Lutherum, huic Paracelsum, nemo est, qui ignorat. Bini uno anno nati, in opere, quod sibi sumpserunt expediendum, æque seduli. Non tamen negaverim Lutheri modum reformandi præferendum esse hujus methodo, quando ille omnia DEO, hic proprio ingenio acceptum tulit; ille selectum instituere, hic veterum quoque monita spernere & conculcare annis est. In eo denuo æquales, quod, cum saniora monita Lutheri omnis Christianus coetus admittere nollet, divisio satis memorabilis sit coorta, & ad Paracelsi elationis dogmata quidam Medicorum se conformantes, neglectis antiquorum consiliis, se Chymicos appellaverint, aliis nomen Galenicorum sibi servantibus. Siccine ergo Theologia & Medicinæ unum & commune fatum? Quanta vero ultima hæc permutatio fit, quam sub auspiciis Paracelsi Medicina fecit, & quanta hujus ampliatio; haud induci possum, ut mihi persuaderem, majora inde commoda in artem sanandi esse derivata, ac quoque medicina, occasione reformationis, Luthero tribuendæ, obtinuit. Dignum ergo mihi visum est hoc Argumentum, ut prolixiore sermonem de illo instituam, eo magis, quod præsentis temporis ratio omnes & singulos ad ponderanda beneficia DEI per Lutherum Ecclesiæ exhibita, invitet ac provocet. Huic vero Panegyri, ut Magnificus Dominus Rector, Illustres Regiminis Affessores & Consiliarii, Academiæ & Urbis Patres Conscripti, Doctores, Verbi Divini Praecones, Philosophiae Magistri, Studiosorum lectissima concio, omnesque, qui Luthero favent, & quanta ejus merita sint, aestimare norunt, interesse velint, peramanter ac officiose contendeo. Perscript.

Rostoch. MDCCXVII. A. O. R. Die 2. Nov.

S. D. G.



Jo.  
vel  
en:  
  
et  
  
ins  
ude  
ich.  
ha  
neis.  
Ju  
ret/  
ar  
tien  
e an  
vie  
dein  
ben/  
Ro  
und  
gen  
je  
iner  
zen/  
het:  
set  
ste  
ing  
hen  
uch  
reib  
Ge  
dem  
n  
an  
gde  
nnt  
nnt  
nnt  
nnt












Aus  
An dem  
Erfreulichem E  
Des  
JUBILEI  
LUTHERANI  
Welches  
Zum Sventenmahl gefeyr  
wurde/  
Der  
Decanus Facultatis Medicæ  
**D. GEORGIUS**  
**THARDING,**  
Zur mehrerer Celebrirung ein  
**SOLENNE ORATI**  
Den III. Novembr. Anno MDCCXVII..  
Im grossen AUDITORIO hiel  
Ward  
Zur Vermehrung der Freude f  
ARIE  
Vor / zwischen und nach gehaltener / Rede  
abgesungen.



ROSTOCK/  
Gedruckt bey Niclas Schwiegerau / E. E. Rahts Buchdrucker.

21.